

**Q**uod ante hos viginti fere annos, cum Pindarum prelo recudendum darem, in votis haberam, ut, exemplaribus, quae paratu facilia essent, mea opera subministratis, aliorum studia ad Pindarum legendum, illustrandum et ornandum, excitarentur: id me assequutum esse habeo quod laeter. Ut enim de me taceam, qui ad sensus generosos in iuuenum animis excitandos, ad interpretandi facultatem acuendam, ad fingenda ingenia aliquando libris saeris enarrandis vacatura, Pindaricis lectionibus nihil vidi fructuosius: ex eo tempore lectionem Pindari inter nostrates vidimus frequentari, Pindari carmina a praeclaris ingeniis tractari, in germanicum sermonem, modo soluta, modo vincita oratione, verti, passim etiam commentatione vel annotatione collustrari. Fuit in his, nam quorsum singula commemoren? in primis opera eximia SCHNEIDERI V. C. in Vita et carminibus Pindari illustrandis, tum in colligendis fragmentis; porro GEDIKII V. C. maxime in Olympiis et Pythiis, (vtinam Nemea et Isthmia desiderari a se diutius nolle) cuius ingenium lyrica audacia cum doctrina varia instructum saepe in his carminibus reddendis admiratus sum; potest enim in pedestri oratione multo melius intelligi, verborum vim et sententiam quomodo assequutus sit interpres, quam in vincita: cuius indoles et ratio necessitatem facit alia aliis permutandi, summa tantum sententiae capita, non singula verba annumerandi, omninoque liberius euagandi.

a 2

Etsi